



Dissertatio therapeutico-medica de promovenda euthanasia

<https://hdl.handle.net/1874/30050>

15

DISSERTATIO THERAPEUTICO - MEDICA

DE

PROMOVENDA EUTHANASIA,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

UT ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICI DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RENO - TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ANDREAS JENTINK,

E PAGO STEENWIJKERWOLD.

DIE XXV MARTII MDCCXL, HORA V.



TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFIC. PADDENBURGII & SOC.

MDCCCCXI..

VIRO PLURIMUM VENERANDO

A N D R E A E J E N T I N K ,

DOCTR. CHRIST. IN PAGO STEENWIJKERWOLD
INTERPRETI, MODERATORIBUS ADSCRIPTO ,

PATRI OPTIMO CARISSIMO ,

NEC NON

VIRO NOBILISSIMO AMPLISSIMO

J. H. BARONI VAN LIJNDEN
VAN LUNENBURG ,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI ,

ORDINIS EQUESTRIS LEONIS NEERLANDICI CENTURIONI ,
AUGUSTISSIMO REGI A CONSILIIS , ORDINIBUS REGNI
GENERALIBUS ADSCRIPTO , ACADEMIAE RHENO-
TRAJECTINAe CURATORI , ETC. ETC. ,

BAS QUALESQUNQUE STUDIORUM
PRIMITIAS

D. D.

AUCTOR.

*Um den Menschen ins Leben hinein zu helfen,
dazu giebt es eine eigene Kunst, die Hebammenkunst;
aber dafür dass man erträglich wieder hinauskommt,
ist fast nichts gethan.*

REIL.

Praefatio.

Quum in eo jam essem, ut, disquisitione aliqua conscribenda, finem studiis imponere vellem, ac de argomento speciminis cogitarem, ecce post aliquod temporis spatium Medici mihi demandatur provincia, ad quam quantocius mihi erat accendendum. Cum igitur tempus mihi deesset, ut aliquid, dissertationis nomine magis dignum, suscipi perem, tamen, ut legi satisfacerem, aliquid praestare cupiens, notas, quas de Euthanasia in meos usus ex aliorum, qui de hoc argomento egerunt, scriptis collegeram, in disquisitionis formam componere conatus sum. Sunt autem illi, quorum scripta consulere mihi licuit :

N. PARADIJS, Oratio de Εὐθανασίᾳ naturali et quid ad eam conciliandam medicina valeat, publice dicta, Lugd. Bat. 1794.

J. CHR. REIL, Entwurf einer allgemeinen Therapie, *Halle 1836.*

S. G. VOGEL, Allgemeine medicinisch - diagnostische Untersuchungen, 2 Theil. *1833.*

K. L. KLOHSS, die Euthanasie, oder die Kunst den Tod zu erleichtern, *Berlin 1835.*

Argumentum ideo mihi arrisit, quod inde plurima discere potui, quae ad praestantissimam medici muneric partem merito referantur.

Quum igitur semper juvenilibus viribus arduum sit negotium, auctoris munere fungi, ita mihi prae caeteris vestra opus erit indulgentia, Viri Clarissimi Praeceptores, qua unice fretus, haecce vestro examini submitto.

Antequam vero ad illud accedam, tibi, Vir Venerande, Pater carissime, grati animi sensus non indicare non possum! Tu enim a tenera inde aetate ad hoc usque tempus ea mihi praestare non intermisisti, quae aliqua ratione ad meam salutem promovendam valere possent. Tu me ea docuisti, quae mihi opus essent, ut ad studia Academica accederem. Tu et antea et postea et monitis et exemplo animum meum informare non desiisti. Quae omnia quum tibi retribuere frusta conarer, nil superest, nisi ut pia vota protua salute longissime continuata D. O. M. faciam.

Tibi

Tibi etiam, Vir Nobilissime VAN LIJNDEN VAN LUNENBURG, haecce quantulacunque non dedicare non potui. Tu enim tam comiter semper me exceptisti, tot beneficia in me contulisti, ut tibi pro omnibus in me collatis beneficiis gratias, quas possum maximas habeam.

Tandem ad vos me convertens, Viri Clarissimi, optimi praeceptores, WOLTERBEEK, B. F. SUERMAN, SCHROEDER VAN DER KOLK, vobis gratias ago pro egregia institutione, pro humanitate et benevolentia, qua frui mihi licuit, dum in hacce Academia versarer. Vos omnes, Tu in primis etiam Vir Clarissime N. C. DE FREMERY, qui mihi a nobilissimo ordine medico promotor es designatus, pro omnibus, quibus me tam benigniter affecistis, eodem favore grati discipuli pectoris accipiatis documenta. O utinam dulce illud negotium, gratias agendi, mihi suscipere etiam licuisset erga Virum Clarissimum A. C. G. SUERMAN, qui et nobis et Academiae et Patriae et orbi eruditio tam flexibilis occidit. Nobis nequaquam esse datum, ut ejus merita celebremus, nemo est, quin intelligat. Nobis nihil aliud superest, nisi ut cum omnibus, quibus contigerit, ut cum cognoscere possent, praematuram ejus mortem lugeamus.

Vobis denique, Commititones adjunctissimi, vale-

*ledicendum est , vobis etiam , quos interiore mihi
contigerit prosequi amicitia. Utinam nunquam
illud vinculum , quo tam diu conjuncti fuimus
tristi absentia dissolvetur. Utinam vero semper
eadem ratione vigere perget !*

BESTELLING SCANS (=KOPIEËN) BIJZONDERE COLLECTIES

GEGEVENS ORIGINEEL [] Handschrift* [] Kaart Oude/bijzondere druk

Vindplaats: MAG: Diss Utrecht 1839-40 *IV* 15 Barcode: 1820556-10 .

Auteur(s):...**Jentineck, Andreas.**

Titel:... **Dissertatio therapeutico-medico de promovenda euthanasia** Jaar:...1840...

*Download ook de gebruikersverklaring>>

GEGEVENS KOPIE* Scan pagina(s) in grijswaarden** [] Scan afbeelding(en) in kleur**

Pagina's:...**Gehele werk**..... Tot welk bedrag?Euro

Opmerkingen:

Your Order number

@200838200 (Jentink, Andreas: Dissertatio therapeutico-medico de promovenda euthanasia)

S.v.p op één cd-rom samen met ordernr. @200836661 Disputatio medica inaugralis de malacia seu pica. Diss Utrecht 1694 dl 45

S.v.p. door Wiebe laten versturen. Er wordt betaald met IFLA vouchers (in totaal 7,5 voor beide opdrachten)

* Levering vindt plaats op cd-rom. Overleg volgt, indien scannen niet mogelijk is.

** Kijk op de prijslijst voor het verschil

GEGEVENS AANVRAGER [] Medewerker UU [] Student UIJ Overige leners

Naam + voorletters: **Luthardt, U.**

(Werk)*adres: **Fernleihe**

Universitätsbibliothek

Am Hubland

Postcode/Plaats **97074 Würzburg**
(Duitsland)

Lenerspas/studentnummer:.....

Telefoonnr:... **0931-8885928** E-mailadres: **pfl@bibliothek.uni-wuerzburg.de**

Handtekening**: **Aanvraag per e-mail**..... Datum **22-08-2008**

* Voor medewerkers die op rekening van hun disciplinegroep aanvragen, verplicht in te vullen velden!

**Indien u tekent, gaat u accoord met de kosten>> .

In te vullen door medewerker

Aantal scans: B 3 g	Verstuurd:
Productiestraat: Ja /nee	Profit: Fotograaf
Datum: 25/09/08	Datum:
Workflownr.: 14552	Paraaf Medewerker:
Paraaf Medewerker:	

Dissertatio

THERAPEUTICO-MEDICA

DE

PROMOVENDA EUTHANASIA.

Introitus.

Euthanasia, quo vocabulo *Baco Verulamius* primus uti coepit, dicitur facilis et quam minimo cum cruciatu e vita exitus, quatenus moriendi facilitas e causis naturalibus proxime pendet. Disciplina autem, quae docet, qua ratione ea promovenda sit, admodum late patet, cum ad omnia ea referatur, quae conducere possunt ad hominum exitum e vita mitigandum et nimium mortis dolorem auferendum, imo vero ad ipsam placidiore quodam animo subeundam; sive ea effectus sit senectutis, sive morborum seu laesionis externae.

A

Qua-

Quare uniuscujusque permultum interest, ut eam rite colat, cum et religio et sensus moralis, et amor in naturae socios nos obstringant, ut cuivis morti subjecto omnia ea praestemus, quae conducere possunt ad ejus dolores diminuendos, ad solatium ei afferendum, verbo, ut, quoad ejus fieri possit, sedulo illi succurramus, quo facilius pugnam adversus mortem sustineat. Quae cum ita sint, Eu- thanasiam promovere ad nobilia medici inprimis refertur officia, quae si negligat, ei illud omnino dedecori est. Quis tandem medicus temporis punctum, quo mors aegrotum e vita eruptura sit, quadam certitudine, definire posset? Et nonne artis per- fissimi nonnumquam experti sunt, hominem, qui jamjam moriturus esse videretur, in vitam rediisse? Mortem autem, praesertim organismi pugnam adversus mortem, omnes homines horrescant. Vitam conservare, eam saltem prolongare, hominis permagni interest. Etiamsi vita sit parvi momenti, etiamsi aliorum imperio sit subjecta, aut corporis animive perpessionibus exagitetur, nihilominus tamen ejus possessio homini maximus videtur thesaurus. Homo magno desiderio diutius existendi flagrat, cum hujus doni voluptatibus jam huc usque laeto animo usus sit. Imo vitae ratione habita, caetera omnia fere flocci facit. Millia funium, quorum plures haud animadvertuntur, eum copulant cum hoc mundo, ac plerumque metu ducitur, ne hic-

hicce ei aliquando cum alio permutandus sit. Itaque recte dicere possumus: » Vitae desiderium mortisque metus humanae naturae veluti innata sunt." Inveniuntur quidem nonnulli homines , cum adversa fortuna luctantes , morbis exercentibus ac insanabilibus laborantes , vel senes annis confecti , qui mortem tanquam beneficium quoddam implorent. Audimus identidem nonnullos philosophos docentes , mortem non esse timendam. Sed ne ideo a proposito deterreamur. Verissimum est , quod KLOHSS dicit: » der scharfsinnigste Denker , der erhabenste Philosoph ist in seiner letzten Stunde , immer zuerst körperliches , dann geistiges Wesen , und leicht ist est , über den Tod , und wie er mit Fassung ertragen werden müsse , zu schreiben , schwer , sehr schwer ihn wirklich also , wie man Anderen vorschreibt , selbst zu erleiden."'

Licet quemque , ex morali conditione , omnes vires intendere oporteat , quibus bene moriendi ratio promoveatur ; hic tamen nonnullas admonitiones adjungere volumus , quae ad ea referantur , quibus vel adhibendis vel omittendis hac in re munere suo tenetur medicus. In hoc argumento tractando , in primis mihi placet divisio , quam alii jam secuti sunt , qua discernitua Euthanasia universalis a partiali. Illa quidem ab omnibus universe hominibus et quacunque occasione coli potest ; haec ve-

ro a nonnullis tantummodo , certa quadam conditio-
ne et casu se nonnunquam tantum offerente , potest
exerceri . Ita v. c. remedia , quibus religionis an-
tistes uti potest , ut morienti succurrat , majore ad-
sunt copia et majores plerumque effectus habent ,
quam ea , quae vulgari homini suppetunt . Philoso-
phia , Anthropologia , Psychologia aliisque discipli-
nis rite exultus , praesertim si , divinae religionis
praeceptis totus imbutus , ejus solamina bene adhibet , ille in morientis animum , in ejus conditio-
nenem spiritualem multo majorem vim adhibere po-
test . Sic etiam medicus , hisce doctrinis magis
minusve exercendis , tum etiam sua cognitione cor-
poris humani ac legum vitae , morbi , mortisque ,
prae caeteris valet , ut Euthanasiam hisce remediis
majore vi et efficacia promoveat .

Ut igitur quendam ordinem sequamur in remediis
investigandis , quibus *medicus* uti possit ad mortis
dolores mitigandos , in hacce disputatione exquirere
scopus est :

I. Quid ille efficere possit ad ea , quae mortem
graviorem reddunt , propulsanda , et

II. Quid ei adhibendum sit , ad ipsam mortem sub-
levandam .

SECTIO I.

QUID MEDICUS EFFICERE POSSIT AD OMNIA,
QUAE MORTEM GRAVIOREM REDDUNT,
AMOVENDA.

Ad ea amovenda, quae mortem graviorem redundunt, medicus vel *directe*, vel potius *indirecte* suas vires intendere potest.

1º. *Indirecte*, quatenus omnes malas consuetudines, mores, ususque, quae non raro ad morientis lectum inveniuntur, consilio et exemplo avertat.

2º. *Directe*, quatenus medici personam agens, cum moriente in actualem veniat attactum.

1º. Ut medicus in aegrotis tractandis multos abusus, malasque consuetudines animadvertere solet, quae, in aegrotantium cubiculis dominantes, quam saepissime nocivum effectum exercent, ita ut sanatio prohibeat et non raro moribundi dolores augeantur; sic etiam peculiariter plurima existunt via

tia in morientibus tractandis , quae quidem ultima vitae momenta gravia ac amara reddunt.

In iis autem in censem veniunt inscitia , supersticio , praejudicatae opiniones ; tum vero duritas aut misericordia male constituta ; porro inhumanitas et omnino inutiles ac nocivae occupationes .

Omnia haecce vitia enumerare haud incipiems . Quaeque urbs , quisque vicus , quaeque denique dominus propria sua vitia habet .

Ad ea , quae vulgo dominantur et quibus se medicus opponere potest debetque , referenda est maxime noxia et funesta consuetudo , qua ad morientis lectum saepe plures admittuntur .

Non signiflico hoc loco illum usum , quo aditus ad lectum consanguineis praebeatur . Hic enim mos , prouti deinceps mihi erit animadvertisendum , nonnunquam , certis quibusdam opportunitatibus , salutarem potius quam noxiā vim in morientis conditionem habere potest . Verum enim nimirum numerum amicorum , vicinorum et familiarium cum maxime volo , qui non adeo aestumatis et amicitiae studio , sed multo magis curiositate quadam ducti , ad aegroti cubile se conferre solent . Non raro aegroti cubiculum , quod sacrosanctum habendum esset , talem videntur aestimare locum , ad quem unicuique aditus pateat . Vix demonstratu opus est , quantopere hoc aegroto noceat ; varii enim illi visitantes , domum percurrere seque-

assidue movere solent, ex animo videntur condilere et lacrymari; praeterea saepius suam sententiam de moribundi conditione ita eloquuntur, ut hic eorum verba facile intelligere possit. Quae cuncta quantopere debili jam et languido aegroto obesse, ejusque animi dolores et angores excitare atque augere debeant, non est quod dicam. Hoc loco etiam animadvertisendum est, morbo increcente, sensum audiendi saepe valde acui, eumque, ut multi perhibent, serius, imo postremo mori. Sic quoque aërem in cubiculo hominum copia inquinat, totumque saepe corruptit. Quibus omnibus aliter fieri nequit, quin mors difficilior et gravior reddatur.

Itaque medici est, ut, quoad ejus fieri potest, abusibus istis obicem ponat. Illud facere potest demonstrando propinquis aegroti, quantopere talis agendi ratio ei noceat, tum etiam plures jam congregatos persuasionis vi ac sua auctoritate eo adducendo, ut cubiculum relinquant. Ipsum vero hac in re exemplum omnibus dare oportet, tollendis iis omnibus, quae angorem aegri alere ejusque conditionem magis ingratam reddere possent, quaeque amovere aliquo modo potest. Pauca tantummodo loquatur, non plura saltem quam opus est ut dicat. Quando videt, id quod saepissime obtinet, consanguineos etiam, animi affectionibus victos, aegrotantis dolores augere, eos adhortari debet, ut, amore in morientem ducti. lacrymas suas longe ab

eo

eo remoti effundant, non vero ejus cubili adstantes.

Aliud autem non minus grave, et ubique dominans, vitium quaerendum est in negligentia in temperatura cubiculi definienda, qua cum arcte conjuncta est incuria de puritate aëris, quae saepe in aegrotorum cubiculis animadvertisit. Aestivo aequo ac hiemali tempore omnia clausa tenentur, plerumque, ut putant, ad nimium frigus arcendum, quod tamen, quadam prudentia adhibita, alio modo satis prohiberi potest. Inde autem fit, ut nimio calore et adiuncta aëris impuritate, quae insuper nociva evaporatione, cum morbo conjuncta, increscit, morientis respiratio impediatur, ejusque dolores augantur.

Accedit, quod homines saepe noxiis potius, quam quidem salutaribus, remedii ad aërem repurgandum uti soleant, v. c. vaporibus muriaticis et nitrosis, quibus organa respirationis afficiuntur, undeque modesta enascitur tussis.

In hisce omnibus ac similibus casibus medicum alios admonere decet, quantopere haec omnia aegrotantis conditioni obsint, eos ad majorem curam adhortari, atque meliora iis consilia ac remedia praebere eum oportet.

Regulam tamen generalem, qualis temperatura in cubiculo adesse debeat, dare non possumus, quandoquidem pro diversa morbore indole et aegrotorum aetate minus magisve calida ea esse debeat. Corruptus autem et miasmatibus inquinatus aër sem-

per

per evitandus est , cui arcendo aceti evapores et asspersiones , mature jam institutae et modice repetitiae tanquam optimum et salutare remedium omnino conducere possunt. Inprimis medicus admoneat oportet necessarios , ut curam gerant , ne vestimenta vel tegumenta immunda aegrotantis impuritati an-sam praebeant. Immundities enim et impuritas non modo aëris corruptelam promovent ; sed in omni parte etiam maxime nocent. Ita molestissima chronicorum morborum symptomata ad mortem usque multiplicantur , tum etiam gangraena ex decubitu augetur , atque inde ipsa mors eo gravior fit.

Verum hic quoque medicus eos ad prudentiam adhortetur , ne moriens inutili ac multiplici lecti commutatione , nec nimia vestimentorum mutatione magis etiam crucietur , quam ipso morbo. Nec minus medicus ad illud attendat , ut moriens quam facillime decumbat , quandoquidem aegrotus plerumque in lecto degere debet. Haec enim res , ab iis , qui aegrotorum curam agunt , plerumque negligi solet. Admoneat igitur , ut quam maxime morientis desideriis hac in re satisfaciant , cum ipse optime sentire possit , quo modo facillime decumbet. Si sedere in lecto sive sede molli , pulvinaribus instructa , aegrotus praefert , illud in nonnullis morbis et sub quibusdam conditionibus ei non modo salutare erit , sed etiam nonnumquam per aliquod temporis intervallum ejus vires reficiet , et ei quietem et animi recreationem afferet.

Ae-

Aeque necessarium est, ut medicus propinquos attendere jubeat ad detrimentum, quod nimia lux in aegrotorum cubiculo afferre queat. Hoc non ita moneo, quia illud plerumque apud aegrotos negligi solet; ast vero illa cura, ne nimia lux officiat, ab eo inde tempore saepissime non amplius adhibetur, quo animadvertere sibi videantur mortem jamjam appropinquare. Si omnibus fere hominibus tenebris opus est, ut dulci somno vires reficiantur, magis etiam iis indigent aegrotantes, ut ad aeternum somnum praeparentur. Confirmatur illud experientia, cum pugna adversus mortem, quando interdiu locum habet, gravior sit, quam si noctu obtinet. Quae cum ita sint, illud agat medicus, ut aegrotorum curatoribus imponat, ut impediant, quominus solis radii in cubiculum penetrent, ac candalarum lumen nimis luceat. Eos igitur doceat, levem obscuritatem nimiae luci longe esse praeferendam.

Difficile est dictu, quam noxiam vim religiosi nonnulli ritus, qui aliquando ad morientis lectum exercentur, suhinde in aegrotorum animum habent et quantopere tales iis impedimento esse possint, quominus bene ac placide moriantur. Illi nimirum ritus spem vivendi, quam, quemadmodum deinde fusius ostendere conabimur, medicus semper alere debet, subinde extinguunt. Ob oculos enim ponunt aegroto periculum, in quo versetur,

tur, eique ostendunt, morbum ejus esse lethalem. Ita mortis metus augetur. Constat quidem, medico minime esse datum, ut hos ritus plane prohibeat; veruntamen ubicunque eos aliqua ratione tollere possit, omnes vires eo intendere eum oportet, praesertim si a moriente non expetuntur.

Tandem Euthanasiae promovendae studium medicum docet, ut caveat, ne homo nimis mature pro mortuo habeatur atque tanquam talis tractetur. Saepius enim homo, ubi defunctus esse videatur, statim crudelissima agendi ratione afficitur; imo vero, si quis durante nocte adeo mortuus esse videtur, vicini vel funerum curatores arcessuntur, qui aliquando duris manibus defuncti oculos claudant, ejus membra extendant, eum ex calido lecto aliorum ducant, vestibus eum exuant, eumque hiemali etiam tempore, sine aliqua commiseratione in locis frigidis, tenui saepe tantummodo vestimento funebri indutum, deponunt. Quum autem reputemus, verae mortis symptomata peritissimo vel medico pauca tantum adesse, putredinemque solam verum nobis mortis documentum praebere; si reputemus, subinde, ubi vera mors jam obtinuisse videatur, medium conditionem vitam inter et mortem locum habere, quam mortem apparentem dicere solemus, tum satis manifestum erit, consuetudinem modo memoratam omnino esse improbandam. Est igitur medici, praesertim quando ex praeced-

den-

dentis morbi indole concludere nequeat, veram jam mortem adesse, huic rei obicem ponere. Mortui saltem amicos et consanguineos admoneat, ut prudentiorem et leniorem agendi rationem sequantur, atque ab iis roget, ut ei permittant, ut notis remediis sibi persuadeat, revera vita functum esse aegrotum.

2º. Verum enim non tantum vitia arcere debet medicus, de quibus huc usque verba fecimus; sed etiam, quatenus ipse cum moriente in contactum venit, in omni sua agendi ratione maxima ei prudentia opus est. Si enim eum deceat, qualem cunque negligentiam, quam in aegroti cubiculo animadvertis, reprehendere, atque eos, qui officium suum omittant, admonere, per se patet, ipsi prae caeteris omnem diligentiam hac in re adhibendum esse. Facile concedimus, medicum, quum videat, omnem suam operam, quam intenderit, ut aegrotum a morbo liberaret, irritam fuisse, nullaque remedia excogitari posse, quibus in sanitatem restitui quiret, eo duci posse, ut cum non amplius vel saltem non tam saepe visitaret. Hanc autem sollicitationem facile devincet, dummodo memor sit officii sui, quo obstringatur, ut omnia suscipiat, quae non solum ad illud conducere possunt, ut naturae socii vitam conservet; verum etiam, quando illud efficere non potest, ut eam prolonget, vel placidorem reddat mortem. Euthanasia ab hac parte

con-

conspecta, per se patet, medicum, etiamsi aegroti morbis insanabilibus, quae lento quidem, sed certo mortem afferant, laborent, indesinenter eos visitare oportere, ut vitae spem hac ratione conservet, atque alat, et simul omnia ea remedia adhibeat, de quibus mox dicemus, quibusque mortem placidiorem et minus dolorificam reddere posset.

Hac cum re arctissime conjuncta sunt monita de ratione, qua medicus se ad aegroti lectum gerere debeat. Etenim quando ipse illic angorem, metum, vel animi defectionem prodit, in aegroti vicissim animo eadem affectiones excitentur necesse est, et quidem eo magis, quo major sit fiducia in medico reposita. Modestus ac tranquillus habitus, nominatim in periculosa aegrotorum conditione, semper eum deceat, nimirum, nisi hac in re modum excedat. Neque ex ejus vultu, neque e quopiam actionis motu aegrotus magnum periculum in quo versetur divinet, nec ullum incerti animi indicium consiliive inopiae documentum, licet apud ipsum medicum adasset, unquam cernat. Et adeo minus medico licet, periculosam et plane desperatam morbi conditionem cum aegroto communicare, recordans, peritissimum quoque medicum in prognosi sua falli posse atque insuper nuntium de morte haud amplius evitanda ex ejus ore auditum, a quo liberationem a morbo exspectet, periculosissimas sequelas secum non ducere non posse. Hanc enim

ob

ob rem aegrotus fiduciam, antea in medico ejusque arte repositam, et simul omnem vitae spem amittet. Tum ea etiam remedia, quae Euthanasiae inservire potuissent, tanquam vana et inania recusabit, atque ita mentis agitationes, angores, tristitia aliaque pathemata animum deprimentia aegroti conditionem continuo in pejus mutabunt, mortem accelerabunt, eamque plerumque graviorem reddent.

Uti igitur medico a verbis, gestibus, totoque habitu, quoad ejus fieri potest, omnis anxietas amovenda est, ita id quoque agat, ut insanabilibus aegrotis et morientibus apta medicamenta praescribat. Morientem cruciare ultimasque ejus dies vel horas insuaves et amaras reddere talibus medicamentis, de quorum inutilitate ipse jam convictus est, vitium foret contra sanctam illam necessitudinem, quae medicum inter et morientem intercedat.

Nimius multorum medicamentorum, eorumque intrabrevia intervalla usus, uti sunt pulveres, potiones, elysmata, inflictiones, vesicatoria, sinapismi, breviori diutiorive tempore adhibiti, emplastra, quae pustulas et cutis ruborem afferunt, dolores augent, lotiones et unguenta, eodem tempore et diu adhibita, omnia haecce aegroto omnem quietem omniaque grata momenta adimunt.

Ad qualitatem etiam medicamentorum, quae praescribit, medicus rite attendat. Ea etenim, quae antea omnino adhiberi potuerant, ac debuerant, ultimis

mis stadiis morborum insanabilem, in phthisi, in febribus hecticis aliisque, non solum inepta et inutilia, verum etiam noxia esse possunt, ita ut non-nunquam mortem accelerent, ejusque certamen gravius reddant.

Ad medicamentorum formam, commixtionem et compositionem, ad eorum odorem et saporem insuper attendat medicus, et quidem multo magis apud morientes quam caeteroquin apud aegrotos. Constat enim, mortem eo mitiorem etiam redi, si remedia, quae ad aegroti dolores diminuendos afferruntur, ad ejus conditionem, vires, propensionem ect. accommodata sunt; praeterea si neque ingratum saporem vel odorem habent, nec talia ingredientia continent, quae aversentur aegroti.

SECTIO II.

QUID MEDICUS ADHIBERE POSSIT AD EUTHANASIAM PROMOVENDAM.

Ex iis, quae supra diximus, cum definitionem daremus Euthanasiae universae et Euthanasiae medicae, jam satis patet, sumnum medici propositum habendum esse, ut vitam hominum prolonget, ut mortis certamen leniat, ut aegroti dolores diminuat, atque ut ipse mortem minus gravem reddat. Itaque hac in re omnia ea ei adhibenda sunt medicamenta, quae experientia docente, eo conducere possunt, aut quae, ex justa analogia illi rei inseruire posse verosimillimum ipsi apparent (a).

Non

(a) Quamvis sumnum consilium medici esse debeat, non solum ut vitam prolonget, verum etiam, ut mortem reddat faciliorem, tamen, quemadmodum HUFFELAND in *Encheirid. med.* p. 909 et 910 recte monet, posterius illud, si aliquomodo vitae prolongandae noceat, nunquam ei facere licet, quum unicuique, imprimis medico hominis, vel morientis etiam, vitam abrumpere vel extingue nefas sit.

Non solum igitur physicis, verum etiam psychicas remediis utatur, his praesertim ideo, quod iis facilius et melius vim in animum exercere, eaque ratione corporis etiam conditioni prodesse potest.

Attamen mihi non licet ex arte definire, quid medicus ad primarium illud consilium promovendum efficere possit, nec postea speciatim accurate illud describere potero, quum horum remediorum usus sit accommodandus ad indolem et propriam conditionem cuiuscunque peculiaris obitus.

Medicum accurate attendere oportet ad individuum et peculiarem singulorum morientium conditionem. In Euthanasia promovenda imprimis rationem habeat sexus, aetatis et temperamenti cujusque aegroti. Quod ad morbi indolem attinet, videndum ei est, utrum sit mere corporeus, an vero psychicus, an quidem utriusque generis conjuncti. Pariet attendendum ei est ad locum, quem in societate occupant, ad educationem, consuetudinem, mores, idiosyncrasiam, clima, religionem. Haec autem omnia et universe et peculiariter varia indigent cura, quae in genere exacte definiri nequit, sed consilio et judicio cuiusvis medici relinquenda est.

Ea igitur tantummodo remedia attingemus, quae universe, omni tempore et ubique loci necessaria esse possunt et utilia ad Euthanasiam promovendam. Haec autem, ut supra jam monuimus, sive psychica seu pharmaceutica sunt.

1º. Quod ad psychica remedia attinet, medico praesertim opus est, ut moriens fiduciam in eum reponat. Ut enim in cunctis morbis fiducia magis salutarem vim exercet, quam ipsa medicamenta, sic ejus benefica vi eo magis ii indigent, qui insanabilibus et dolorosis morbis laborent, vel in eo sunt ut moriantur, imo vero ne carere quidem ea possunt. Sine hac nimirum fiducia multae res, quarum notitia medico non raro summi est momenti, ignotae ipsi manebunt. Hac destitutus, vitae spem, ubi in moriente extincta erit, non resuscitabit, neque, ubi ea collabefacta erit, eam corroborare ac sustentare poterit. Sine hac fiducia omnia ejus consilia vana erunt et irrita et omnia remedia, ad bene moriendum praescripta, omni vi carebunt. Ita denique ejus praesentia ad aegroti lectum ultima moestaque morientis momenta magis etiam acerba et ingrata reddet.

Praeterea medici est, ut animum ostendat commotum de sorte patientis. Ut jam antea, cum nondum de morbi sanatione desperaret, intima commiseratione indicaverat, moerore affectum esse animum suum de conditione aegroti, ita nunc quoque, omni spe destitutus, se optimum patientis amicum praestare debet. Consolatoriae ejus allocutiones, amabilis ejus agendi ratio, benevolentia ejus et humanitas magnam vim in aegroti animum habebunt, et nonnumquam ibi beneficam vim exercebunt,

ubi

ubi nihil amplius arte effici poterit. His aegroti amor erga medicum excitetur, qui id efficere poterit, ut ille eo majore cum studio hujus jussa et consilia exsequetur.

Contra vero ex immitti et dura agendi ratione repugnantia, impatientia, major denique passionum gravitas enascantur necesse est.

Ad haec remedia psychica illud etiam refertur, ut, si quando moriens putet sibi medicamentis opus esse, medicus autem existimet, ea non tantum minime esse necessaria, sed multo magis nocere posse, ei hoc in casu remedia vi carentia praescribat, quae, ex innoxiiis ingredientibus parata, apud morientem spem excitare possint, ut releverunt, eique animum addant. Hic fraus medico decori esse potest debetque. Ne patiens unquam animadvertisat medicum veluti munere destitutum; tum enim omni fiducia in eo hucusque collocata privabitur, et in periculi plena ac desperata conditione se versari conjicit, quod ipsam mortem non accelerare non poterit.

Tandem his illud quoque adjiciendum videtur. Oportet medicum ut Euthanasiae faveat, necessarios et proximos morientis libere ad ejus cubile admittere. Antea autem, quam ad illud accedant, ad justam eos adhortetur prudentiam. Experientia enim docet, absentiam dilectorum propinquorum mortis gravitatem valde augere, et contra eorum

praesentiam dolores ejus admodum diminuere , imo vero eam mortem , quae in amplexu intimorum amicorum et dilectissimorum liberorum aut parentum locum habeat , multo minorem dolorem excitare , quam eam , quae ab iis remota superveniat.

2º. Transeamus denique ad auxilium indicandum , quod praestandum erit , pure medicum ; ubi generatim observandum est , medicum , quando moribundis medicamenta praescribit , rationemque , qua iis utendum sit , indicat , non illud agere debere , ut insanabile malum curare conetur , et aegrotum in vitam restituere suscipiat ; at vero ei videndum esse , qua facillima ratione dolores , angores et ea symptomata vehementia , quae e morbo enascantur , mitiget , et , quoad ejus fieri possit , tollat . Symptomatum ad morientis lectum orientium levamen una ac praecipua est indicatio , quae tamen hic non tam facile fit , quam quidem apud aegrotos , quorum morbi sanari possunt . Medicamenta admodum varium effectum habent in eos , qui jamjam morituri videantur . Plerunque ille pendet a caeteris remediis , quibus eodem tempore utamur , quaeque non raro medicamentorum usum superfluum , imo etiam noxium reddant , iis nempe de quibus supra verba fecimus plane aut partim neglectis .

Medicamenta etiam , quae ad bene moriendum conducant , a casus varietate dependent , et , uti nul-
lum

Ium definitum medicamentum dari , sic etiam ne ullum quidem fere excludi potest. Tam antiphlogistica , quam excitantia et stimulantia , tam nutrientia et roborantia , quam sedantia , antispasmodica et anodyna certis occasionibus bonum effectum habere poterunt , ideoque periti medici perspicaciae relinquendum est , ut talia praescribet medicamenta , quae haec vel illa opportunitas postulet.

Antiphlogistica , quemadmodum illud ex ipsa rei indole satis appareat , nequaquam ultimis vitae momentis , sed jam posterioribus morborum insanabilium periodis adhibenda sunt. In iis autem morbis , ubi pugna organismum inter et morbum organismum in systemate sanguifero excitat ; ubi cum magna debilitate conjuncta relativa sanguinis copia , praesertim in pulmonibus , obtinet , e qua angores , respiratio difficilis , tussis assidua etc. nascuntur ; ubi igitur continua relevatione iisque medicamentis , quae statim suam vim exerceant , opus est , parvae plerumque et pro re nata repetitae venaesectiones salutarem vim habebunt , ad dolores , ad quoddam tempus certe , diminuendos , ad periculum , ne moriens suffocetur , arcendum , ad respirationem relevandam atque ad beneficium somnum promovendum. Hae autem venaesectiones , ratione habita conditioⁿis aegroti , hirudinibus excipi poterunt , quae , ubi adhibentur , licet molestiis non plane careant , tamen , quum forte male et intempestive iis utatur medi-

cus ,

cus , nunquam tam noxias sequelas habebunt , qnam venaesectiones male adhibitae.

Longe majorem prudentiam postulat usus excitantium , quae , morientibus data , ab aliis inutilia , ab aliis noxia esse existimantur . Si vero illorum usus spectetur ratione habita officii , quod medico impostum sit , ut vitam quam diutissime conservet , tum nequaquam prorsus contemnenda sunt , licet ea tantummodo in causa uti iis debeat , quando magna debilitas et virium defectio locum habent . Omnitamen tempore medicus hac in re prudenter a mitigationibus ad fortiora progrediatur ; nam , quando statim fortiora adhiberentur excitantia , cito vel fortissima excitantia vi carerent , atque timendum adeo esset , ne nimia excitatione relativa debilis organismi , hic , contra propositum , quod attingere optaremus , extinguatur , ejusque irritabilitas plane deleatur .

Majoris momenti et frequentioris usus , in primis in chronicis debilitantibusque morbis lethalibus , sunt nutrientia ac roborantia . Ex indole sua appetissima ad propriam et continuam debilitationem prohibendam , non quidem nonnullos dies vel horas ante mortem aegrotanti praescribi possunt ; illud vero jam antea fieri debet , quando scilicet symptoma insanabilitatis morbi nobis persuadent , mortem certo esse secuturam . E. g. in phthisi , in febribus hecticis atque in omnibus iis morbis , qui

mag-

magnam consumptionem afferunt, nutrientium usu vires, magna secretione languescentes, quodammodo restituuntur, cui rei medicamenta relative valde nutrientia quodammodo jam inservire possunt, ea imprimis, quae multum gelatinac et sacchari materiem continent. Vires digestionis, in hacce conditione parum laesae, integrae conservantur nec omni actione privantur, quando adhibentur mitiora amara tonica. Ea nimurum primas vias restituunt, in ventriculo non tantum majus nutrimenti desiderium excitant; sed ejus vires ad cibos digerendos assimilandosque atque ad citiorem materiae commutationem afferendam stimulant etiam et suffuleunt.

Tandem hic in censem veniunt sedantia, anti-spasmodica et anodyna, quae optime adhiberi possunt, Euthanasiaeque utilissima sunt. Quo magis mors appropinquat, quo magis morientis dolores erethica fere conditione se manifestant, eo magis sensibilitas excitatur. Eam autem ut diminuat atque ad normam reducat medici sit propositum in Euthanasia colenda. Inter praecipua talia medicamenta primo loco Opium est memorandum. Id enim vi sua palliativa magis quam ullum aliud narcoticum valet ad dolores et perpessiones leniendas, ad erethismum diminuendum et simul etiam ad animum erigendum. Ita igitur ad bene moriendum illud in primis conducere poterit. Opium enim matuoribus morborum insanabilium non solum periodis ad-

adhiberi potest, verum ultimis etiam momentis. Praeterea ad gravia symptomata supprimenda, ad dolores auferendos vel saltem sedandos, ad spasmos tollendos, ad diarrhaeas, quae aegrotantis vires exhauriunt, arcendos, ad beneficium somnum promovendum, illud medicamentum prae ceteris inservire potest. Est autem Opium magna cum cautela adhibendum. Neque eo tempore, quo alia etiam nunc medicamenta prodesse possunt, medico illud praescribere licebit, neque ei illud majori continuo dosi dandum est, ne nimius ejus usus efficiat, ut vim suam apud aegrotantem amittat. Si vero idiosyncrasia adsit, praejudicatasve opiniones contra illud foveat aegrotus ejusve propinqui, illud non praescribat, vel ita saltem ei det, ut non animadvertant, et tunc quidem in talibus vehiculis, quae saporem ejus atque odorem involvunt.

Diutius usurpatum nonnumquam noxios effectus habet, a quibus non satis cavere possumus. In hisce habetur proclivitas ad putredinem et deliquescentiam, debilitatio cutis, aphtharum productio, praesertim pertinaces obstructions. Hi tamen noxi effectus ultimis vitae horis minime metuendi sunt. Tum igitur ejus usus relative minorem prudentiam postulat. Tum, quibusdam occasionibus, majori copia praescribi poterit, donec salutarem effectum ostendat et morienti eam animi hilaritatem, eam animi elationem prae omnibus rebus terrestribus atque

que illud in morte solatium revera praebeat, quibus omnibus, quando bene adhibetur, ansam praebere poterit.

Post Opium, inter ea medicamenta, quae ad bene moriendum valeant, in censem venit Acidum hydrocyanicum, sub forma aquae laurocerasi et aquae amygdalarum amararum. Hoc medicamentum non nullis nominibus Opio praestat; est enim suaviore sapore, sistema sanguiferum minus stimulat, sensibilitatem tantummodo diminuit, ideoque in omnibus conditionibus, ubi sanguinis orgasmus habetur vel metuendus est, majore cum successu usurpari poterit quam Opium. Dolendum autem illud in manu periti etiam medici tam incertum et periculosum esse medicamentum. Si enim nimis exigua quantitate adhibeat, nullum omnino effectum habebit; sin vero aliquantulo nimia dosi praescribatur, vim vehementissimam exserit. Tum enim aegroti mortem non leviorem reddet; contra vero efficiet, ut aegrotans sub gravissimis ventriculi doloribus, vomitu, convulsionibus ac paralysi sit moriturus. Ideo iis semper medicamentis annumeratur acidum hydrocyanicum, quae propter periculum, quod afferre possunt, dubii tantummodo in Euthanasia praetii aestimantur.

Magis universe usurpandus est Hyoscyamus, qui, recte adhibitus, eandem vim habet, atque utrumque medicamentum supra memoratum, licet utriusque

que noxiis sit destitutus. Non agit stimulando, non profert obstructions vel sudores, diminuit crethismum, atque ita simul angores, inquietudines et dolores; affert somnum beneficum, atque haec omnia efficit, nullas secum dicens noxias sequelas. Porro mitigat tussim, expectorantibus junctus, tenacia, mucosa ac purulenta sputa emittit, pulmones, hisce nimis repletos, iis liberat, atque adeo inter sedantia, quae ad bene moriendum conferunt, primarium locum meretur. Verum et hoc medicamentum ab altera parte conspici potest, etenim non gravem quidem, sed ingratum tamen habet odorem ac saporem. Quare haud adeo vulgaris usus est. Peculiari nostra attentione ad morientis cubile deinde dignum est Lactucarium, quod, noxiis Opii proprietatibus privatum, pariter tamen dolores lenit. Antispasmodicas autem et hypnoticas possidet vires, minime vero attributa continet stimulandi vel stupefaciendi. Veruntamen semper majori dosi prescribi debet, quam supra memorata medicamenta.

Excepta Digitali purpurea, omnia reliqua anodyna et antispasmodica medicamenta ultimum hoc vitium cum lactucario, et saporis insuavitatem cum supra indicatis communia habent. Digitalis vero haecce purpurea propter effectum suum specificum in sistema sanguiferum omnino salutariter agit, in quocunque casu actionis excessivae diminutione opus sit, praesertim in organicis morbis cordis atque

que in aneurysmatibus. Etiam hac in re praestat, quod apta conjunctione cum remediis, systemati nervoso quietem statim afferentibus ejus vis augeatur, ideoque eo magis salutaris esse possit, quum insuper sub variis formis praescribi queat.

Moschus tandem, quamvis eximia sua facultate antispasmodica maxime interdum prodesse possit, tamen ad Euthanasiam promovendam fere usurpari nequit: non modo propter nimiam stimulandi vim et diaphoreticam proprietatem, sed magis etiam propter odorem, quem habet; penetrantem, quo fit ut vulgo eum metuant. Cum primum moschus praescriptus est, aestimatur aegrotus in periculosa conditione versari, ipseque hoc putat, quo fit, ut desperatio excitetur et fiducia in medico reposita vitaeque spes extinguantur.

Quare medicus ejus usu suum conferre non poterit ad quietem, solatum et animum morienti addenda, atque ad ejus perpessiones levandas; eo vero inquietudinem ejus, angores et dolores multo magis augebit.

Haec autem remedia, ad internum tantummodo usum destinata, quibus vires etiam adduntur externis adhibendis remediis, nonnumquam eximiae utilitatis esse possunt. Attamen non semper morienti iis uti licet. Apud haud paucos deglutitio jam diminuta, vel plane deleta est; apud multos frequens iis excitatur tussis vel suffocationis inde

enascuntur affectiones ; alii denuo aliis morbis laborant , qui ne minimum quidem internum usum medicamentorum admittunt.

In his ac similibus causis externa tantum medicamenta moribundis prodesse possunt. Quaenam vero haecce omnibus in casibus sint , definire vix possumus , quandoquidem omnia , temporis et aegroti situationis ratione habita , benefica esse possunt. Non opus est , ut hoc loco iterum animadvertisamus , haec quoque eo semper consilio esse adhibenda , ut iis perpessiones releventur et Euthanasia promoveatur.

O felicem medicum , qui semper optima ex hisce remediis sapienter eligere possit , aut qui , si quando nulla amplius medicamenta prosint , omnisque ars ad aegrotum conservandum adhibita irrita fuerit facta , benefico tamen auxilio crudelissimos dolores lenire sciat , symptomata dolorifica praevenire , omniaque incommoda , quoad ejus fieri possit , evitare , aut ipsam saltem mortem minus possit horribilem reddere ! Morientis cubile locus est ubi misericors ejus animus magnifice se manifestare queat , ubi ipse quoque ejusmodi conscientiae approbationis particeps fieri possit , quae nusquam alibi invenitur. Si consolatoriis praeterea alloquiis morientis mentem relevare , ei animum addere et spem in Deo depositam , firmam illam mentis corroborationem , fulcrum illud , quo animus in mortis augo-

re

re nitatur, firmare atque augere possit, imo vero efficere queat, ut aeger cum lecto, in quo jam-jam moriturus sit, reconcilietur, indicando illi sedem coelestam, tunc omnino medicus nobilissimum se praestat hominum benefactorem, amicum in rebus adversis, imo ad mortem usque sincerum. Nullum sane est munus in humana societate, quod medico munere sit praferendum !

QUAESTIONES.

I.

Suceus gastricus mortuas tantum substantias organicas solvit; vivae ci resistunt.

II.

Venae absorbent.

III.

Bilis secretio tam ramis arteriae hepaticae efficitur, quam venae portarum.

IV.

Ubi dolor, ibi non semper sedes morbi.

V.

Nullum certum signum mortis, nisi putredo.

VI.

In asphyxia neonatorum maximi momenti est distinctio inter sthenicam et asthenicam.

VII.

Majorem frequentiam fracturarum ossium, quae tempore hiemali observatur, non adeo frigori esse tribuendam censeo.

VIII.

VIII.

Febrem tum symptoma, tum morbum esse contendeo.

IX.

In multis morbis diaeta magis est efficax, quam medicamenta.

X.

In praescribendis medicamentorum formulis simplicitas magnopere est commendenda.

XI.

Medicamenta et venena non differunt, nisi dosi.

XII.

Licet aliquando in delirio tremente potatorum inflammatoria quaedam symptomata conspiciantur, haec tamen ad genuinam hujus morbi indolem non pertinent.

XIII.

In panaritio culter praecipuum est artis auxilium.

XIV.

In aneurysmatum operatione methodus HUNTERI caeteris est preferenda.

XV.

Recte D. BICHAT (*Essai sur Desault*): » l'art d'éviter les opérations chirurgicales doit précéder celui de les bien faire; et dans le doute de leur indication, « ne pas agir est la saine pratique. »

XVI.

Optandum esse puto, ut mulieribus partus normalis, obstetriciae Doctoribus partus abnormalis dirigendus tradatur.

XVII.

XVII.

Si in partu difficiili mors aut matris aut foetus praevideatur, matris vita ut servetur semper erit praeferrendum.

XVIII.

Si placentae solutio est efficienda, optima methodus est illa, quam proposuit Mojon, injectio scilicet aquae frigidae per venam umbilicalem.